

42

AD MONITORES DVO  
**S C H O L A S T I-**  
CORVM OPERVM.

P R I O R

est

Sermo succinctus

De ludorum literariorum inspectori-  
bus sub verni examinis auspicio

Anno 1599. 26. Martij Neustadij ad  
Orlam habitus.

P O S T E R I O R

est

Oratiuncula

De pueritiæ in Scholis negle-  
ctæ peccato.

Anno 1604. conscripta

a

*M. M I C H A È L E P H A-*  
RETRATO Scholæ Orlanæ moderatore.

L I P S I A,

Michaël Lantzenberger imprimebat.

Coll. diss. A  
89, 37

a. LXXXIX. 37

12

4

*REVERENDO, ERUDITIS,  
Amplissimis, civiliq; prudentia conspicuis viris,  
Dominis suis merito colendis*

*NEVSTADII AD ORLAM  
Superintendenti*

*M. Stephano Roth, seniori.*

*Consulibus*

*M. Basilio Bohemo, τολιάρεω,  
VVolfgango Freund,  
Bartholomæo Moltzero.*

*Senatoriale camerae præfectis*

<i>Iohanni Zinsmanno.</i>	<i>Nicolao Michaëli.</i>
<i>Georgio Zinsmanno.</i>	<i>Iohanni VVerner.</i>
<i>Christophoro Hæfero.</i>	<i>Iohanni Etzdorf.</i>

*Judici*

*Georgio Blötnero.*


*Lucubratiunculam hanc Scholaisticam M. M.  
Pharetratus debitæ gratitudinis, honoris, &  
amoris testificandi ergò, offert, consecrat, dicat.*

*Vilesunt hodiè ludi, ludiq; magistri,  
Nasutisq; Scholæ sordet ubiq; labor.  
At vobis, animus quibus est prudentior, omnis  
Ornando in ludo cura stat, atq; fides.  
Nam florente schola divina profanaq; scitis  
Florere, & labi cuncta cadente schola.  
Hec igitur spero è ludo data munera amica,  
Et gratæ mentis symbola grata fore.*

*I. χολαρ-*



I χολαρχοδιώκτης.



Pud Athenienses contra otiosos cives institutum fuit, quod nec vestrum aliquos, viri reverendi, amplissimi & consultissimi, scholæ hujus inspectores & Mecænates nostri, multum honorandi, præterit, ut ab Areopagitico senatu quotannis ad minimum semel diligentissimè inquireretur, quid quisq; civium ageret, & quonam quæstu sustentaretur. Itaq; homines vitæ rationem reddendam esse memores honestatem ultrò sequebantur, teste Valerio Maximo, Laudatur à plurimis isthæc consuetudo, & rectè: Sed æquè rectè nos laudemus, amplectamur, atq; exosculemur morem in literarios ludos contra otiosos scholasticos introductum, secundum quem à Præceptoribus præsente & auscultante ministerio, senatu, aliisq; Musarum fautoribus quotannis inquiritur, & accuratè examinatur quid quisq; discipulorum sua in classe audierit, & quoq; progressus in lectionibus fecerit. Ita enim discentium plurimi studiorum suorum rationem esse aliquando reddendam memores laudem diligentiae alijs præcipere, ignaviæ autem opprobrium effugere auditis ad unguem repetendis emituntur. Huic propter innumerâ emolumenta nunquam satis laudato instituto scholastico morem gerentes, diem cum sequentibus præsentem examini destinatum, vestramq; reverentiam, & amplitudinem huc rogatam voluimus. Et ne præter so-

Exord. 2  
gent. instit.

I. 2. c. 6.

Apodoſis.

Prop.

Distrib.

I.

Matth. 18.  
20.

Ibid. v. 5.

Luc. 4. 16.

litum recta ἐξέτασιν, seu disquisitionem ingrediamur, pau-  
cula quædam de personis examinum, reliquorumq; la-  
borum scholasticorum inspectionem sibi vendicanti-  
bus præfari in animo habemus. Reperimus autem re  
paulò altius perponderata inspectorum nostrorum ali-  
os visibilis, alios invisibilis naturæ. Invisibilis, ut est  
**Deus**, & angeli; Visibilis conditionis vel sunt publicæ,  
vel privatæ personæ. Per illas Ecclesiæ ministros & se-  
natores; per has reliquos cives & discipulos nostros in-  
telligimus. Erunt itaq; numero sex ordines. De qui-  
bus singulis singulatim.

PRIMARIUM, adeoq; sumnum, ut fundatorem,  
patronum, atq; rectorem, ita etiam inspectorem laboris  
hujus scholastici nos venerabundi agnoscimus Deum.  
Deus enim est, de quo verba isthæc sonant; Vbi duo aut  
tres, (sic & vbi ducenti aut trecenti) congregati sunt in  
 nomine meo, ego, inquit sacratissimæ Trinitatis loco  
Christus, ero in medio eorum. Imò curam ille pueru-  
lis docendis impensam sibi in solidum esse imputatu-  
rum se sanctè promittit, cum dicit; Qui puerum talem  
in nomine meo recipit, me recipit. Ne vero distorta  
hæc putas, vide ipsum Christum è sinu patris ad nos  
ablegatum, ut Nazarethum venerit, synagogam vel  
Scholam intraverit, studia legentium inspexerit, & δυσ-  
vñtræ illis obscura verba facilimè ac fidelissimè explanâ-  
rit. Testatum videlicet exemplo isto voluit facere se  
cum patre & spiritu sancto medium inter doctores &  
discipulos in templis & Scholis ad finem usq; mundi affu-  
turum, & quæ recta aut prava ibi fierent, observatu-  
rum. Hunc utinam præsentem oculis cerneremus, aut

faltem

saltem lectionibus nunquam non interesse, singulaq;  
nostra dicta, facta & cogitata animadvertere credere-  
mus, mirabiles docendi & discendi amores excitaret.  
At cur αἰώντοι, καὶ Βεαδᾶς τὴν καρδίαν τῷ φίσεων de illo sub  
dubitamus; quod ethnici poëtæ certò sibi persuasum  
habuerunt? Antiquissimi enim Hesiodi versum istum;  
τῶννα οὐδὲν διὸς ὁ φθαλμὸς, καὶ τῶννα νόητας. Ovidius his red-  
didit verbis; Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.  
Et Plautus; Est profectò, inquit, Deus, qui quæ nos  
gerimus auditq; & videt. Adhæc ipse Aristoteles in  
primis laudat Heraclitum Deum etiam in casa furnaria  
ad focum adesse asserentem. Quod si pistori ad fur-  
num defudanti, multò magis Præceptor & discipulis  
laborantibus in Schola inspector Deus opt. max. præ-  
stò erit. Maledictus ergò quicunque in Schola opus  
domini negligenter Deo ipso præsente & vidente fe-  
cerit. Contrà fidelium in ludo literario docentium &  
discentium oculi ad dominum nostrum omnipræsen-  
tem ludi literarii censorem sint directi, perinde atque  
oculi ancillæ ad manus heræ. Si animadverterit ille nos  
indefessos & fidos in minimo, quin majoribus & plu-  
ribus aliquando ab eodem simus præficiendi minimè in  
dubium vocemus. Episcopo sane huic transcaelesti in  
visitatione generali, quæ die novissimo est futura, de  
laboribus nostris rationem exactam coram tribunali  
reddamus oportebit. Ibi tum qui benè rem in ludo  
gessimus, per fidem ad gloriam æternam; qui verò ma-  
lè, per infidelitatem ad ignominiam æternam ingre-  
diamur.

Verùm secundùm Deum proximos & frequentif-

Luc. 24. 25.

Oper. & die-  
rum 1.

Metam. 13.

Capt. act. 2.

I. 1. de part.  
animal. c. 5.  
h. e. vltimo.

Ier. 48. 10.

Ps. 23. 2.

Matth. 25.  
23.

2. Cor. 5.  
10.

Dan. 12. 2.

II.

A 3

simos

simos nostros in Schola observatores profitemur ange-  
los. Nam isthæc sunt verba ipsius Christi ; Videte ne  
contemnatis unum ex pusillis his. Dico n. vobis, quod  
angeli eorum in cælis semper videant faciem patris mei,  
qui est in cœlis. - Ducuntur igitur in ludum, & redu-  
cuntur pueri ab angelis. Ab angelis pueri inter discen-  
dum custodiuntur. Et si quando hi taciti ac morigeri  
lectioni attendunt, aut Scholam ingressi cantitant, illi  
angeli in medio eorum stantes, & præ gaudio ubi sint  
nescientes modò hunc, modò illum modesto risu, atq;  
osculo blando expassis ambabus ulnis excipiunt. Sin  
à congerribus turbæ fuerint excitatæ iidem ad faciem  
Dei, quam semper in cœlis vident confugientes de pue-  
rorum & præceptorum alieno negotio aut otio, quod  
fit pulvinar satanæ, lacrymis affatim profusis graviter  
conqueruntur. Inde est, quod Scholam aliquando  
præteriisse eremita legitur, qui insuetum puerorum si-  
lentium admiratus introspexerit, & bonos administrato-  
rios spiritus inter sedulos assidentes discipulos passim  
obambulantes agnōrit; paulò autem post eodem rever-  
sus turbulentorum clamores audierit, & fenestella aper-  
ta porcos subnigros iam hos, iam illos scamno detur-  
bantes conspicatus fuerit. Lupi quidem seu corycæi  
in catalogos suos absentiæ, garrulitatis, aut rixarum  
reos inscribunt pueros, sed persæpè dolosè. Angeli  
verò fraudis nescii, & quæ in discentibus, & quæ in do-  
centibus culpa hæreat annotare, & quotidiè catalo-  
gum ante thronum Dei perlegere credantur. Audere  
igitur quisq; nostrum in Schola caveat, quod homine  
vidente non auderet. Peccatis enim nimis & negli-

gen-

gentijs, ut sancti Bernhardi verbis iterum utar, provocati angeli tandem plane indignos nos præsentia & visitatione sua iudicant. Sed de his satis.

Serm. 12.

Tertiam stationem damus ministerio. Nisi enim ut pastores quoq; ludi literarii laborum satagerent, Deus voluisse, nec sacerdotes & apostolos, olim scholarchas constituisset, ut in veteri testamento de Samuele iam decrepiti pontificis Heli discipulo, & de Elisæo Prophetorum filiorum Præceptore fidelissimo, nec non in novo apud Euangelistam Matthæum de illis, qui ex Schola Baptiste ad Messiam amandantur, scriptum reperimus. Proinde nihil per vulgatius fuit superiori parentum nostrorum tempore, quam ut passim ministri Ecclesiæ ad minimum unam atq; alteram horam singulis septimanis etiam pueris operam legendo navarent. Sentiebant n. isti ex doctrina solida & sedula amorem, ex amore reverentiam, ex reverentia debitam in Schola obedientiam promanare, secundum illud Virgilianum :

III.

1. Reg. 3. 1.  
4. Reg. 6. 1.

c. 11. 2.

*Tum pietate gravem, & meritis si forte virum quem  
Conspexere silent.* Nec sanè aliud vetustas in  
nuit contiguis templi & ludorum ædibus extructis,  
quam quod mutua opera atq; inspectione res literaria ab  
Ecclesiasticis adjuvaretur. Quod etiam summa necessitas exigere videtur. Sicut enim cum in Schola frigidè laboraretur, qui sacerdotio cum laude fungerentur, aliquando defuturi essent : Ita nisi Ecclesiæ ministri parentes admonerent, & instando adhortarentur, ut liberos Scholastica disciplina educandos frequentes mitterent, nisi jidem discentibus coram inculcarent, ut præceptoribus tot molestias devorantibus cum debito

1. 1. Aed.

honore

honore morem absq; refragatione gererent , nec qui in ludo nostro apparere , nec qui nobis parere vellent habituri essemus . Idcirco sicubi Schola floruerit , aut se-  
cūs , illud haud minima ex parte ministerio etiam eccl-  
esiastico acceptum referamus decebit .

I V.

Cic. I. 2.  
de div.

v. 21.

Porrò nec amplissimi magistratus , qui quarto ordine jam recensendus venit , extremæ sunt in examinibus & cæteris ludi laboribus inspiciendis partes . Penes illum , principe & populo olim sic sanciente Scholarum est vocatio : Penes eundem igitur etiam accurata functionis nostræ esto observatio . Et meritò ! Multum enim interest reipublicæ conservari literas , idq; adeò , ut non priùs florentem nobis promittere habeamus politiam , quām pueri honestis disciplinis ad virtutem in Scholis fuerint assuefacti . Quare non ἀρχαλόγως seu præter rationem fuit , quod Ferdinandus urbem ingressus tria præcipue explorare in more positum habuit . Primum erat , an , qui cum imperio essent senatores , viri forent boni , id est , sapientes , pji , veriloqui , nec turpis lucri cupidi , juxta ἀερσκέμενα , quæ Iethro Moy si præscripsit , Ex. 18 . Alterum , an cura Ecclesiæ & Scho-  
læ dignis ac laudatis esset demandata . Tertium fuit , an horologium , secundūm quod labores sedulorum opificum distribuuntur , foret αἰώλογον , atq; æquabilis cursus . His bene se habentibus felicem , male autem infortunatam prædicabat civitatem . Alij quidem armaria satis instructa ; alijs æraria referta ; alijs valla , mænia , & ædifica magna faciunt urbis florentis κριτής . Sed imperator perspicacissimus dominos , quām domos , & studiorum amorem , quām hastarum nitorem

cele-

celebrandæ reipublicæ infallibilius argumentum judicabat. Itaq; & avi, & parentes nostri in nulla fere alia re, quam in bene constituenda Schola majorem laudem sibi quærere voluisse videntur. Nec spes eosdem frustrata est: nec nos frustrabitur, qui cum senatores prudentissimi inspectionis Scholasticæ memorares jam huc accesseritis, perinde atq; domini oculus equum saginat, vigilem magistratus oculum ludi literarij incrementum fore nobis gratulando pollicemur.

Plut. in px.  
dag.

v.

Rom. 14.4.

Deniq; præter dictas publicè à Deo in terris ordinatas inspectorum classes, aliæ adhuc duæ privatarum personarum subsequuntur turmæ. Vna extra Scholam: altera in Schola. Quamvis autem neutra inspiciendi operam profiteri ausit, nec debeat: (Nam tu quis es, inquit Paulus ad hominem privatum, qui judicas de alieno ministro, à quo Deo & magistratu non tibi reddenda est ratio?) Vtraq; tamen ista turma in nævis, & improvisis interdum humanis lapsibus Scholasticorum collegarum atro calculo notandis est tota lyncea, & oculato Argo oculatior. Extra Scholam puto ciyes: in Schola nostros discipulos. Civium etiam inspectionem in defungendis laboribus nobis verendam docent rumores & famigerationes eorundem, qui nos partim nimis in pueros favire, partim nimis leni animo esse natos, aut negligentiores, aut insolentiores tantum non Tartareas aliquando pœnas, & horrendas discipulorum querelas mereri clamitant. Formulas, quibus matres stomachosæ rationem pro filiorum castigatione cum convitijs exigentes in nos invehuntur addere nec libet, nec per tempus li-

B

cet.

cet. Quod viros autem attinet, quemlibet civem facile  
patiemur, immo rogamus officij nostri aestimatorem, parati  
enim sumus περ ταπολογιας omni poscenti nos ratione,  
modo ut idem ille, quod olim a multis factitatu est, exa-  
minum & ceterorum, si vacat, operum scholasticorum  
sit spectator, nec refugiat venire & videre, num se res ita  
habeat. Sin adversus indemnes & inauditos nos virgu-  
lam censoriam malevoli stringere & maledicere ausi fue-  
rint, brevi cum furore ultra crepidam aliquid tentante ad  
proprios lares, remissi malefacta etiam noscant sua.

Iohan. 1. 46.

Erasm. chil.  
1. cent. 6.  
prov. 16.

V L.

I. 2. ep. 1.

Hor. I. 2.  
ep. 1.

Postremo in Schola inspectorum locum sibi sumunt  
infimum discipuli nostri. Qui illud? Non est quod  
demiremini. Ut enim in aedibus pueri graviter ad-  
vertunt, quae non censeas; Ita discentes etiam præce-  
ptorū dicta ac facta præsertim aliena observant, quæ ali-  
us nec sentiat. Sicubi hi colloquuntur, isti auscultant.  
Elapsum est his imprudentibus verbum illepidum, id isti  
discunt, meminerunt q; tenacius, quod derident,  
quam quæ colunt & venerantur, ut Horatij epistola ha-  
bet. Scitum igitur & Apollinis oraculo verius est  
Naumburgensis illius Poliatri ad clarissimos dominos  
illusterrimi Portensis gymnasij collegas dictum hoc: Gra-  
vis quidem adversaria alumnis a vobis constituta est:  
Verum curiosi non minus in vestros, quam vos in ipso-  
rum verba, sermones & actiones inquirere solent.

Vnde etiam, quæso, scimus Orbilium rigidum &  
plagosum & Archiam vero fide & felicitate ingenij  
præstantem fuisse doctorem? Nonne eorum discipu-  
li lyricorum poëtarum & oratorum Latinorum prin-  
cipes Flaccus & Tullius literis atq; monumentis su-

is istud

is istud nobis prodiderunt? Sed quid opus externis  
& priscis? Vosmetipsi seniores probè meministis, &  
sciscitantibus præceptorum vestrorum dicta, facta  
& mores vel egregia cum laude, vel cum venia &  
pace ipsorum examissim recitare potestis. Quin no-  
stros quoq; tam minores, quam maiores quod attinet,  
sanctè equidem jurare auderem, si quispiam blandis  
verbis semoto omni arbitro ex his scrutatur, cogno-  
scere illum, quinam collegarum primus ad labores scho-  
lasticos accedere, quive primus ab ijsdem discedere,  
num officio omnes gaudere, an canibus invitis vena-  
ri, & Sifyphe saxa volutare soleant. Quod cum ita  
sit, minimè nobis in Schola stertendum, sed etiam atq;  
etiam vigilandum est, ne quam inspectorum nostro-  
rum, Dei nimirum, angelorum, ministerij & senatus,  
aut etiam civium & discipulorum justam fortassis re-  
prehensionem incurramus. Et quia labor examinis  
in Schola penè est primarius, vt eò, vnde postexor-  
dium digressi sumus, tandem revertamur, illi cum re-  
sidua hora aliquot subsequentes dies dabimus. Ve-  
strum viri reverendi, atq; prudentissimi arbitrium, ve-  
stra existimatio valebit in dextrè censendo, qua ac-  
curatione & fidelitate haec tenus officio præfuerimus.  
Sed tandem periculum est faciendum. Agite discipu-  
li carissimi, aures arrigite, & veriti sacrosanctam  
Trinitatem hic habitantem, veriti angelos, quos inter  
vos obambulare videor videre, veriti ministerij re-  
verendi præsentiam, senatus amplissimi conspectum,  
reliquorumq; animadversionem, congrue ad quæsita  
respondete.

Ariæsφα-  
λαιωσις.

Alme Deus cæptis, quibus inter es, ipse faveto,  
Aspira studijs puerorum, & suggere vires.  
Nomen, honorisq; tuus sit ut horum semper in ore.

Auspicium verò nobis examinis usū  
Pro solito Superintendentis inspecto honore  
Aucte precor facias. Quarentem ego subsequar inde.  
A Iove principium sacrum quò fiat, ut æquum est,  
Dogma catechismi promptum dabit argumentum.

### Peroratio metrica.

Sed jam tempus equum fumantia solvere colla,  
Iam disciplorum tempus dimittere cætum.  
Ergo tibi Superintendentis, dignissime præsul,  
Collegisq; tuis, tibi q; ognariissime questor,  
Nec non præsidium populi, tibi sancte senatus  
Debentur grates, nostro quod adesse labori  
Dignatus studijs puerorum calcar & acres  
Subdideris stimulos. Reliquis sed compreco horis  
Atq; diebus item nos visere sponte velitis,  
Si vacat. Interdum & pueros audire juvabit,  
Ignavis pudor, & gnavis ut gloria cedat,  
Deniq; summe poli rector tibi desino, namq;  
A te principium fuit aptum examinis hujus.  
Aspice quæso juventutem, tencrosq; puellos  
Respice jam in ludo tot pignora cara parentum.  
Agricolarum hodiè pertentant gaudia pectus,  
Ambierint campum caelo si fortè sereno  
Cernentes letas segetes, herbasq; virentes.  
Ast exultabit longè majore Ichova  
Cor tibi latitia, quanta hic sit messis in herba

Adver-

Advertenti, & quæ discentum floreat etas.  
Sit felix horum conatus, & utilis omnis  
Fac patrono Scholæ, nostro benedicq; labori.  
Nec sine crescentes plantas hinc lethifer annus  
Averruncet, uti modò proh dolor accidit, inter  
Multos dum caros quosdam mors sustulit atra.  
Hos igitur reliquos, magna expectatio, magna  
De quibus est nobis spes, serves obsecro, serves  
Incolumemq; magistratum, templumq;, scholamq;,  
Dum cervus sylvas, Orlam dum piscis amabit.



## I I. χολαρχοδιώκτης.

**V**AIXIAS vobis, reverendi atq; amplissimi viri, domini inspectores & patroni diligenter observandi, ac colendi, gratias omnes & habere & agere debemus. Non solùm enim præsentia vestrâ Scholastici examinis actum promptissimè exornatis; sed animos etiam puerorum ad discendi laborem fortissimè excitatis. Id in quanti beneficij loco numeremus dici satis non potest. Gratiissima sanè mente nos illud officij accepisse memores luculenter declarare, dum vixerimus, præceptores & discipuli singuli atq; universi pro virili studebimus. At manum de hac tabula. Siquidem non verbis, sed opere ipso vestrae reverentiae & amplitudini à nobis satisfiat oportet. Iam ne contra pristinam consuetudinem sine præmissa qualicunq; etiam oratiuncula hodiernam disquisitionem ordiamur, de pueritiæ in Scholis neglectæ

Proœmium  
ἰσοτίχεια.

Metabasis  
ad proposit.

Distrib.

peccato nonnulla agere, & examinando in præsenti ex-  
cutere divina aspirante benignitate animum induximus.  
Triplex autem erit investigandi via. Prima cur sit in  
peccatorum censu habendum Scholasticam juventutem  
negligere; secunda quanti æstimandum; tertia quibus  
sit imputandum brevissima, sed & plenissima, qua hoc lo-  
co potis & par est ratione explanabit.

I.

Aitius & g. 3.

Quòd delinquant, qui pueros negligunt, id homi-  
ni sanæ mentis nemini dubium unquam fuisse, aut esse  
posse e quidem existimo. Omnes autem habere rationes  
negligentiæ subductas, & satis perponderatas, ac quo-  
tidie memoria repetere, ideo persuaderi sibi quidam  
non patiuntur, quia multorum pueritiæ gubernatorum  
studium frigescere, flaccescere, & adeò languescere ali-  
cubi vident, ut sive Spartam isti ornent, sive dehone-  
stent, sive vigilant in officio, sive dormiant, sive discen-  
tes, sive nihil proficientes habeant alumnos perinde  
esse credant. Non præter rem igitur fore spero, si qua-  
nam de causa peccetur indagâro, & quæ ad indefes-  
sam atq; sedulam docendi curam excitandam faciunt  
explorâro. Dominis enim collegis etiam sua spon-  
te currentibus ita calcar addetur, & ne tam mihi, quâm  
illis pertusa Danaidum dolia, perdita & somnolenta  
quorundam ingenia nauicam Scholastici pulveris, ac  
laboriosæ stationis tedium indies magis, magisq; pa-  
riant, tanquam salutari amuleto, ut opinor, percommo-  
dè cavebitur.

Congeries  
objectorum

Est ergo, ut omnia simul & semel dicamus, ra-  
tio peccati, quod admittunt, si qui indiligerent pue-  
ros informant, non una, sed multiplex. Offen-

dunt

dunt isti Deum , fallunt magistratum , defraudent parentes , disperdunt filios , propriam conscientiam gravant , Ecclesiæ nocumento , reipublicæ sunt exitio . Hæc quid sibi velint paulò fusiùs jam ordine explicabo . Deum severè edixisse in deuteronomio , ut verba divinæ legis enarremus , & acuendo filijs inculcemos , quis est quem lateat ? Idq; ipsum hodiè primarium habetur scholarcharum munus , quod qui patrum gnaviter obeunt , quomodo exardescēt Iehovæ iracundiam effugere possint non perspicio ! In sudore vultus nos pane vesci jubet idem Deus opt. max.

Ratio 1.  
c. 6. v. 7.

Gen. 3. 19.

Geor. Virg.  
l. 1.

Hesiod.

Matth. 25.  
40.

2. Paral. 19.  
6.

c. 48. 10.

curi acuens mortalia corda ,  
Nec torpere gravi passus sua regna veterno , Ut cum  
Latino poëta loquar , vel ex Græco quædam mutuer ,  
δος παχυῶν ιδεῶται σοφὸς ὁ πάραγοι θεος ἔθηκε .  
Qui posuit nobis artes sudore parandas . Pigri igitur ven-  
tres gregem sibi concreditum leviter curantes haud le-  
vi Deo sint odio necessum est . Hic quicquid negligē-  
tia prætermittitur , & uni fratribus etiam minimorum  
benignè vel malignè fiet , sibi factum reputat , & verba  
Iosaphati de judicum officio agentia ad scholarchas  
quoq; transfert & accommodat ; Videte , inquiens ,  
quid faciatis , non enim in officina hominis laboratis , sed  
in vinea domini . Vobiscum sum ego Dominus in ne-  
gotio & functione scholastica . Deum timete , summa  
contentione munus vestrum tuemini , & quæ debe-  
tis sedulò præstate . Imò in terris maledictum apud  
Ieremiam pronunciat omnem , qui opus suum  
fraudulenter aut remissè fecerit . Futuris vero

tempo-

Luc. 16. 2.

Matth. 25.  
26. & 30.

Ratio 2.

Serm. 22.  
Cic. l. i. offic.  
Virg. 4. Ge-  
org.

temporibus grandem scribet dicam, & quemvis exactam suæ villicationis rationem coget reddere. Quicunq; igitur cum Plautino Euclione talentum sub tellurem suffoderit, seq; & alios ignavia perdiderit, istius aures novissimo judicij die terrifica hac voce personabunt: Serve male & piger in tenebras apage exteriore, illic fle-  
tus & stridor dentium erit sempiternus. Enamice habes hic primum **Pe&por** excubitorem, euinq; tantum non Moysè acrius urgenter!

Altero accedit loco magistratus Scholarum patro-  
nus in primis honorandus, qui sedula cum reverendo ministerio perfungitur inspectione, cui sanctissimè pro-  
misimus, & Deum contestati nos officio nunquam de-  
futuros stipulata manu recepimus, à quo salario annua  
ex sacro ærario ludi literarij collaboratoribus persol-  
vuntur. Vnde tribus de nominibus segnes culpandi  
veniunt. Primò quia vigilibus inspectorum oculis, &  
multis senatorum auribus dolosè imponere, & impu-  
denter illudere præsumunt. Deindè quam dederunt  
fidem perjuri frangunt, siquidem ex Augustini & sto-  
corum sententia fides ibi non est, ubi non fit, quod à  
nobis dictum est. Ultimò nec stipendum meretur, sed  
suffuratur immunis residens aliena ad pabula fucus.  
Operæ quidem Scholasticæ premium æquivalens non  
omnibus datur, quod ipsi ultrò fatemini. Plerisq; pro-  
fectò vix Diogenis peram & baculum, aut zonam ina-  
nem sterilis cathedra suppeditat. Verùm non minus  
quintani milites, aut quartani, quàm primani, & le-  
vioris armaturæ, quam duplicarij & triarij sancto se sa-  
cramento ad fidelitatem obstringunt. Peccavit ergo

nihil-

nihilominus, qui fide protenui demenso obligata indiligens, & justo remissior fuit. Sed è curia ad privatos parientes & parentes transeundum est.

Ab his liberi, carissima pignora, thesaurus pretiosissimus, familiæ totius columnæ præceptoribus commendantur, de manu in manum traduntur, & optimè educandi committuntur, quos illi in fidem suam recipiunt, atq; omnia se facturos prolixè & cumulate pollicentur. Quid fit? Patres cordati, quod unciatim etiam suum defraudantes genium compaserunt miseri, necessitatibus filiorum impendunt, eosq; per literas gloriam & rem sibi parituros firmiter persuasum habent. At tota errant via, & spe lactantur vanissima, nisi tam docentes, quam discentes nervos omnes intenderint. Et oleum ergò, vel sumtus, quos parens multo sudore acquisiverat, & liberos desideria conjugum suavissima perfundederunt, qui non strenuam Scholæ operam naverunt. Feriæ enim frequentiores & otia dant pueris vita. Neglectorum verò ætas interea ex magisterio excedit, itaq; grandiores neq; ad literas, neq; ad mechanicas artes amplius sunt idonei, sed ex thesauro fiunt carbones, lurcones, comedones, Penelopes sponsi, έτώσια ἄχθη ἀράγεντς, nec sibi prodesse possunt, nec alijs, consueti videlicet ————— In medios dormire dies, &

Ad sonitum citharæ cessatum ducere curas.

Hæc culpa ne paedagogis meritò imputetur, no-  
tes & dies est vigilandum. Διδάσκαλοι τὸς μαθητὰς πιμπτὰς εἰωτῶν ἀποδεκυύσοι suavissimus Græcorum scri-  
ptor Xenophon ex sapientissimi Socratis ore inquit; Artium magistri discipulos sui imitatores efficiunt. Id li-

Ratio 3.

Ter. in  
Phorm.

Ratio 4.

Hom. od. 6.  
Horat. l. i.  
ep. 2.

De dictis &  
factis Socra-  
tis.

C

cet in

Iustin. in.  
stit. l. 1.

Ratio 5.  
Chrys. in  
psal. 50. de  
consc.

c. 4. 2.  
7. 20.  
6. 6.

Ratio 6.

cet in rebus bonis non semper eventu probetur; ducem tamen ignavum si quis ceperit, ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerunque applicat. At præceptorum est, ut quasi curatores, & ad tuendos eos, qui se per ætatem ipsi defendere & regere nequeunt, dati tutores esse studeant. Quemadmodum igitur puberes arguere suspectos possunt curatores suos; ita illi, qui ludo præsunt literario, nisi fideles & diligentes docendo fuerint, ab adultioribus suspectæ & fraudulenter administratæ tutelæ postulabuntur. Adhæc conscientia etiam, codex ille, in quo peccata quotidiana inscribuntur, parum curiosos puerorum informatores negligentiae graviter accusat, fortiter convincit, severè condemnat. In aurem enim utramvis, imò in ipsa animi penetralia usque insuffrat dicta isthæc Paulina ex priori ad Corinthios; In dispensatore quovis requiritur, ut fidelis inveniatur. Et unusquisq; in qua vocatione vocatus est in ea instanter permaneat. Item ex epist. ad Ephes. Non ad oculum serviatis, quasi hominibus placentes, sed ut ministri Christi facientes voluntatem Dei ex animo. Has officij etiam Scholastici lineas qui transferunt, omnino tranquillam conscientiam habere non poterunt, sed stimulis internis agitati se culpā commissile vel sponte anxij confitebūtur.

Porrò inscitiam literarum & negligentiam tenebras religionis plusquam Aegyptiacas parere superior ætas in papatu ad oculū demonstravit. Tum temporis ex monasterijs prodibant fratres ignorantiae pleriq; omnes, & doctores Ecclesijs præterant insulsissimi, de quib<sup>o</sup> Euri cius Cord<sup>o</sup> medic<sup>o</sup> & poëta insignis hæc post se reliquit

duo disticha :

Sum-

*Summa rudes asini rerum fastigia scandunt.*

*Maximus hoc illis tempore venit honos.*

*His hominum dominis divina, profanaq; parent,*

*Sunt asini reges, pontifices asini.*

I. i. epigr.  
in Lucium  
Apulejum.

Eandem verò barbariem cum jactura sanæ cælestis doctrinæ maxima in Germaniam introducunt quicunq; vel Scholas paulatim iterum abolendas censem, vel curam instituendæ juventutis parvipendunt, & plantaria Ecclesiæ lætissima pedetentim exare scere, labruscas autem & vepreta succrescere desides patiuntur. Qui linguas inquam & artes in ludis literarijs sedulò profiteri negligunt, negligunt donum illud, sine quo sincerum Evangelij dogma vix ac ne vix quidem servari ac custodiri poterit, teste maximæ authoritatis Theologo Luthero; negligunt vaginas, in quibus culter spiritus sancti conditus reperitur; negligunt scrinia, in quibus clinodia & preciosissimæ verbi divini gemmæ repositæ gestantur, negligunt onyches seu vasa, in quæ potiones medicatæ infusæ nobis è cælesti pharmacopolio traduntur; negligunt copinos, in quibus panis angelici fragmenta reservantur. His tot & tantis bonis politiam Christianam spoliant, qui studia in Scholis infideliter propagant, & quantum in ipsis est indoctos atque ineptos in penuria meliorum Ecclesiasticis functionibus præficiendos mittunt! Nihil igitur sentit, qui neglecta pueritia in Ecclesiam peccatum & sacrilegium admitti nondum sentit.

Postremò reipublicæ etiam in primis interesse, ut docatur, atque erudiatur juventus, Cicero in libris de divinatione compluribus ostendit, nec unquā magis florere urbes, quā cum pueri honestis disciplinis ad virtutes assuefiunt, consentiens omnium seculorū experientia jam-

Tomo Ien.  
Germ. 2.  
p. 464.

Iohan. 6.  
13.

Ratio 7.

I. 2. in fron-  
te.

dudum approbavit. Indidem autem sole quoq; meridiano fuit clarius, quod nulla unquam capitalior pestis & pernicies, quam indiligens adolescentiæ cura, inspeccio, & institutio ab irato Deo civitatibus immitti possit. Cum Falisci à Romanis duce Furio Camillo obsiderentur, ludimagister quidam urbis proditor obambulationem simulans primatum filiolos in hostiles manus adduxit, & pro ineunda gratia captivos tradere voluit homo, quem terra portavit, nequissimus, & qui virgis cæderetur dignissimus. Ejusdem farinæ, vel furoris quoq; deterioris est præceptor iste, qui adolescentes futuros olim reipublicæ gubernatores, expatiando & otizando perditum it, negligit, corruptus, atq; in hostis infernalis pulvinar incuria sua reponit. Sed quid ago? in quemnam dicendi campum dilabor? Pluribus primam quæstionem persecutus sum, quam ab initio statueram, licet permulta etiam dicenda coactus silentio præterierim. In sequentibus ut breviores simus temporis angustia monet, hortatur, efflagitat.

Secundum igitur quod proposuimus est, ut quantum sit peccatum scholasticam juventutem negligere spectemus & animo paululum agitemus. Ne vero judicium & testimonium domesticum reprobetis, ipsum Doctorem Lutherum, virum & mea & vestra sententia *ἀξιόπιστον* pro me respondentem introducere, & censorum in hoc negotio statuere mihi quæso liceat. Ab hominibus nostris ille reverendus pater tomo Ien. Germ. 2. in sermone de aperiendis ludis literarijs ad totius Germaniæ senatores instituto inquit: Sæpe in Scholis me puer usurpabatur, & vetustate in proverbij consue-

tudi-

tudinem abierat non minus esse negligere scholarem,  
quam corrumpere virginē. Id eò dicebatur, ut ludi mo-  
deratoribus terror incuteretur, & præceptoribus stimu-  
li admoverentur. Nullum enim tum temporis grandius  
scelus vulgo notius erat, quam illatum virginibus stu-  
prum. At Deum immortalem, quam nihili & leve  
quiddam delictum est libidine labi & petulantem esse  
in muliere præ negligentia, qua multorum adolescen-  
tia pessundatur! Væ mundo in omnem æternitatem!  
Quotidiè in lucem eduntur infantuli, & adolescit pue-  
ritia, & nemo, proh dolor est, qui rudem & incultam ple-  
bem curet, qui gubernet! Laxantur frena, & quisq; na-  
tura proclivis à labore ad libidinem qua data porta, ruit,  
haec tenus divus Lutherus. Iam perponderemus agite,  
quantum flagitium, & qua poena dignum à priscis habi-  
tum sit clanculum cum fæminis alienis consuescere, &  
puellas vitiare: ita quanti æstimetur, si quis pueros otio  
corruperit, ultro elucescat. In antiqua Saxoniam, quod  
Nauclerus memoriae prodidit, cum virgo in domo pa-  
terna fuisset stuprata, aut matrona adulterata, strangula-  
tam istam cremare, & super fossam sepulturæ corrupto-  
rem suspendere, aut cingulotenus denudatum, & de villa  
in villam raptatum ad necem usq; flagellare solebant.  
Paulò mitiori in fornicationes fuit animo apud Græcos  
Zaleucus Locrensis. Legem enim posuit, ut adultero de-  
prehenso uterq; oculus effoderetur, nec suum ipsius fi-  
lium impunè abire passus fuit. Sed majores delicto hæ  
poenæ esse multis videntur! Quid tum? Nihilo tamē mi-  
nus jus etiam Romanum mœchos, & qui stupro se con-  
taminârunt jubet improbos, intestabilesq; esse, ne in nu-

tomo 2.  
pag. 1.  
Chemn.  
exam. par-  
te 3. p. 145.

Aelianus 1.  
13. var. hist.  
Val. Max. 1.  
6. c. 5.

Instit. 1. 2.

c. 13. 14.  
c. 6. 10.

In orat. cō.  
loc. part. 1.

Matth. 18.  
6.

v. 16.

merum testium adhiberi possint. Imò Deus se adulteros & fornicatores judicaturum in epist. ad Hebræos, & regno cælorum exclusurum in priori ad Cor. seriò interminatur. Mortale igitur isti libidinosi facinus perpetrant, nisi acta pœnitudine in viam tempestivè redierint. Hoc tam tetro & politica & Ecclesiastica animadversione digno delicto studiosam juventutem negligere magni Theologi Lutheri sententia longè est tetrius, pejus, gravius, & detestabilius. Excipiunt quidem nonnulli nasutuli, atque doctorem nostrum citato in loco rhetoratum fuisse, & quod Hieronymus, memorante D. Chemonio, alicubi de se fatetur, aliquid declamationibus dedisse prætendunt. Sed maximo versantur in errore. Non enim orationis pigmentis, sed triplicis rationis pugnat fundamentis, & pronunciatum suum munit solidissimè. Si quis virginem, ait, aut mulierem compressebit, id quod in corpus est peccatum, humili & tristi animo agnoscitur, & si non omnino fama ejus elui, ipsum tamen factum coram Deo & mundo lui atque expiari potest. Sin puerorum animæ, quibus nihil habent nobilium, corruptæ fuerint, nec pro peccato quidem hodiè à plerisq; illud habetur & agnoscitur, nedum ut subsequente pœnitentia lueretur, & quæ perditæ sunt mentes legitimè reformari possent. Vnde infert etiam istis, qui pusilli indiligentia sua scandalum posuerunt, expedire, ut suspendatur mola asinaria de collo ipsorum, & demergantur in profundum maris. Necessitas ergò docendi nobis incumbit tanta, ut sicuti Paulus i. Cor. 9. inquit; Væ mihi nisi evangelizavero, eundem ad modum conscientia nostra exclamat; Væ nobis nisi assidui in of-

ficio

ficio Scholastico erimus. At, ne quid nimis, & ne extra cancellos hæc dicta rapiantur de neglecto pietatis studio pleraq; omnia intelliguntur. Hoc est in ludo literario palmarium, hoc est, quod urget, quod modis omnibus Lutherus contendit. Minus accuratam verò in linguis & artibus liberalibus institutionem, & civilitatis informationē, in qua salus animæ primariò non consistit facilius veniā mereri prorsus arbitramur. Interea tamen hæc etiam literarum & morum negligentia, qua Deus, qua magistratus, qua parentes, qua liberi, qua conscientia, qua Ecclesia, qua ipsa deniq; universa respublica violatur, quod superiùs demonstratum fuit, non potest non grande, dirum, & abominabile peccatum ab omnibus sapientibus judicari. De quo si pluribus hoc tempore agerem, vestræ reverentiæ & amplitudinis benignis auribus abuterer. Ad ultimum igitur ζητέμενον transilimus. In quemnam faba perditæ adolescentiæ cuditur? In quo culpa maxima hærere censetur? Diogenes Cynicus cum puerum indecorè se gerentem conspicaretur, pædagogum baculo percussit, & indignabunda voce dixit; Cur sic instituis? Hoc est hodiè judicium vulgò omnium, formatoribus videlicet primæ ætatis potissimum esse impunitum, si adolescentes malè morati & reprobri evaserint, aut secus. Ego verò agnosco, & criminè omni atq; culpa in Scholis oscitanter docentes eximi non posse fateor, imò servum, qui cognōrit voluntatem domini, nec strenuum præstiterit virum, multis vapulaturum extra dubitationis aleam pono. Itaq; etiam, quia vel Herculem citius frangi, atque omnino debilitari, & in hoc ergastulo consumi, quam singulis & universis officio ubiq;

III.  
quæstio.

Erasm.  
apophth. l. 3.

Causa perd.  
adol. 1.

Luc. 12. 47.

locu-

locorum satisfieri, & omnia in melius redigi posse vi-  
deo, mihi vitam & stationem peracerbam puto, ac  
doleo,

*Quod bonus interdum noster dormitet Homerus.*

Sed ut benevola censuræ vestræ æquitas oneris par-  
te nos sublevet, & animos cunctantes ac diffidentes ala-  
criores reddat, in ipsis etiam pueris non minorem cul-  
pam esse persuasissimum habete. Verbis quidem Mi-  
tionis nonnulli melioris indolis se regi facile patiun-  
tur; alios non nisi verbera Orbilij movent; plurimi nec  
verbis nec verberibus in officio retineri queunt, & sunt  
*αὐτοὶ θέτητοι καὶ αὐτοὶ περιεποτοι.* Hi non accipiunt ex Scholis  
sua mala, sed in Scholas afferunt, & negligentiae, pravi-  
tatis & perditionis suæ ipsi fiunt architectones incur-  
biles. Præterea Quintilianus ludorum literariorum ma-  
gister optimus de cæca quoq; & sopita parentum socor-  
dia maximopere queritur, quod liberorū mores & ipsi  
perdant, infantiam statim delicijs solvant, molliq; edu-  
catione, quam indulgentiam vocamus, & mentis & cor-  
poris nervos frangant, ac natos segnes, & negligentes  
faciant. Isti verò malo si non propediem remediū quæ-  
ratur, culpam etiam in magistrum & senatorum Ecclesia-  
rum, & scholarum inspectores redundare, Lutherus lo-  
co superiùs adducto haud obscurè innuit, ubi concludit  
& ait; Weil die Eltern die Kinder zum theil nicht können/  
zum theil nicht wollen recht zihen / wils dem Rath vnd der  
Obrigkeit gebühren / die aller grösste sorge vnd fleis auffs  
junge Volk zu haben. Verum hæc postrema non tam  
meum monere, quam vestræ prudentiæ est apud Luthe-  
rum legere.

*Idcirco*

Herat. in  
arte.  
Causa 2.

1. 1. Inst. c.  
3.  
Causa 3.

Causa 4.

Tomo 2.  
len. Germ.  
pag. 462.

## Idcirco

Harpocratis dígito compesco labellum.

Hæc enim in præsentia

Aedibus in nostris, quæ prava & recta gerantur,  
ad trutinam appendisse sufficiat. Quod reliquum est  
temporis, catecheticæ lectionis examini omne tribue-  
mus, ut quousq; studio pietatis adolescentia sit progres-  
sa jam re ipsa experiamur.

A. Gell.  
Odys. 8.

## D E V O T A P R E C A T I O

Pro omnium trium hierarchicorum statuum  
officijs juxta Oeconomicam tabellam dispo-  
sitis instituta.

**Q**uem penes est solum vasti custodia mundi,  
Curia cui curæ est, araq; summe Deus,  
Irreprehensibilis fac vivat episcopus omnis,  
Castaq; amet thalami fædera præco sacer.  
Sobrius & vigilans, & dapsilis, atq; modestus,  
Aptus dicendo, sitq; docere potens,  
Rixarum fugitans non vini pocula plena  
Appetat, aut querat turpia lucram alius,  
Sed sibi subjectos habeat, natosq; sequaces;  
Darectè domui præsit ubiq; suæ.  
Ipse sacerdotes pura indue ueste salutis  
Succendens per eos lampada justitiae.  
Turbæ auditorum verò largire Iehova,  
Ingrediens templum carne a corda ferat.  
Presbyteros fidos dupli ci dignetur honore,  
Atq; illis morem credula sponte gerat;

Psal. 24. 1.

1. Tim. 3. 2.

Tit. 1. 7.

1. Tim. 3. 4.

Ez. 61. 10.

Ez. 36. 26.

1. Tim. 5. 17.

Hebr. 13. 17.

D

Nec

1. Cor. 9.  
14.  
Rom. 13.4.

2. Paral. 19.  
7.

1. Pet. 2.13.

Matth. 22.

21.  
Rom. 13.7.  
1. Tim. 2.2.

3. Reg. 4.25.

1. Pet. 3.7.

Col. 3.18.

1. Pet. 3.1.

Nec decimas mystæ remoretur salvere. Namq;  
Hunc Evangelium, quod benè tradit, alat.  
Deinde magistratus, gladium qui gestat, & arma  
Cælitus accepit, puniat ense malos.  
Nec parcens corvis vexet censura columbas,  
Iure sed Astræa pendeat æqua bilanx.  
Adde animum contra ut veniant audacius omnes,  
Qui præsint populo, factaq; iniqua premant.  
Ordo senatorum sit pravis ulti ad iram,  
Et nobis valeat, da Deus alme, diu.  
Subditus econtra civis quoq; quilibet esto,  
Nec refragetur seditiosa cohors.  
Sed reddenda Deo reddat, regiq; tributa,  
Et censem, & meritum solvat honoris opus.  
Obsecret, & grata voce oret, & interpellat  
Pro patriæ patribus, consulibusq; bonis,  
Cum pietate gravi placida quo pace fruatur  
Sub ficututis viteq; quisq; sua.  
Sedibus aethereis auram dmitte sacratam,  
Cuncta ut amore liget corda, supreme Deus.  
Effice consortes thalami sine litibus una  
Concordes habitent, te precibusq; colant.  
Diliget uxorem non fictamente maritus,  
Dimidiumq; animi credat eam esse sui.  
Nec vas infirmum tractet truculentius a quo,  
Sed quosdam naevos perferat, atq; tegat.  
Inde etiam conjux fidore redamabit eundem  
Pectore, nec promptum respuet obsequium.  
Sed veluti fuit Abram opia subdita Sara,  
Sic dominum carum discet habere virum.

Quod

Quod si lecti autem quoq; pignora certa dedisti,  
Educat ut sobolem da benè quisq; suam.  
In ludum ad Christum primis hanc mittat ab annis.  
Instillatur ubi relligio, atq; fides.  
Moribus imò bonis, non turpiq; instruat arte,  
Nec castigando seviat ira, sinat.  
Filioli da morigeri quoq; patribus omnes,  
Et decori studeant matribus esse suis.  
Fortunatus enim Tithoni secula vivat,  
Dignatur merito quisquis honore patrem.  
Fac servi maneant, Deus, ancillæq; fideles,  
Et timeant dominos simplice corde suos,  
Nec famulari oculis, & jussa capessere saltem  
Tum studeant, præsens quando opus urget herus.  
Sed Christi tanquam peragant mandata ministri.  
Namq; reportabit, qui facit, omne bonum.  
Nec dominus spiret sine causa naribus ignes,  
Ingerat aut nimias durus ubiq; minas.  
Quandoquidem in cælis tu rex placabilis iræ  
Cuncta movens nutu mitia sceptra geris.  
Perdere cristatos, & debellare superbos  
In terris juvenes juste memento Deus.  
Contrà subjectos maneat fac gratia certa,  
Atq; secunda humiles sors sine fine beet.  
Hinc reliqui discent pueri reverenter habere,  
Laudibus & dignis condecorare senes.  
Præterea viduam quæ vivit fæmina vitam  
Da luxum aspellat, deliciasq; procul.  
In te spemq; suam locet unum nocte dieq;  
Teq; prece & votis, omnibusq; colat.

Eph. 6. 4.

Col. 3. 21.

Eph. 6. 1.

Eph. 6. 5.

Eph. 6. 9.

Ex. 34. 6.

I. Pet. 5. 5.

I. Tim. 5. 5.

Lev. 19. 18.  
Rom. 13. 9.

1. Tim 2. 1.

Der. 18. 1.

Cetera ne referam summatim ex opto propinquos,  
Semet uti, pectus diligat omne suos.

Pro fidei socijs grates ante omnia dicat,  
Hostibus & faveat lingua, animoq; bono.  
Lectio perfectè sua sic discurat ab omni,  
Officijs stabit sic benè culta domus.

## Ein andechtig Gebet / so nach ordnung der Haustafel reimi weis gefasset.

**G**ott der du bist ein Herr der Welt/  
Der die Kirch/vnd den Rath erhebt/  
Gib gnad / das die Bischofe rein/  
Vnd auch vnstreichlich mögen sein/  
Das sie im züchtign Ehstand lebn /  
Vnd andern gut Exempel gebn/  
Nüchtern sein / wacker / vnd gastfren /  
Sittig / wolbered / vnd darben  
Lehrhaftig / aber nicht beissig /  
Nicht Weinseuffer / noch geizig /  
Das sie nicht vnehrlich hanthiern /  
Sondrn ihr haushaltung wol verführen /  
Vnd gehorsame Kinder habn /  
Diß sind geistliche hohe gaben.

Du lie-

Du lieber Gott du wolst selbst verehren  
Das Kleid des Heils den Predigern /  
Vnd durch sie anzünden im herßn  
Der grechtigkeit brennende Kerßn.  
Den Zuhörern aber auch Gott bescher  
Eim sinn / der sich zu dir befehr /  
Ein fleischern herß jo jedem gieb /  
Das er seinen Seelsorger lieb /  
Vnd ihm erzeig zwenfache ehr  
Vor gegebene trewe Lehr /  
Der er gehorg / vnd erleg sampt  
Die gbur zur steur dem Predigampt /  
Denn billch das Euangelium nehrt  
Den / der es studirt / vnd recht lehrt.  
Ferner schaff das die Obrigkeit  
Die bösen straff zu jederzeit /  
Denn sie nicht vmb sonst tregt das Schwert /  
Das du ihr gibst vom Himmel werth /  
Nicht das sie der grossa sol schonen /  
Vnd nur die armen belohnen /  
Sondrn das sie geh gleich durch die Banck /  
Damit die Wage nirgend wank.  
Vscher muth vnd herß im Regiment /  
Das der ontugent werd ein end /  
Gib das glück hab ein erbar Rath /  
Vnd rech das böse in dieser Stadt.

In gemein hilff dasz jederman  
Der Obrigkeit sen unterthan/  
Vnd seinem Herrn nicht widerstreb/  
Sondern was Gotts ist/Gotte geb/  
Dem Kenfer aber Zoll vnd ehr /  
Vnd was vor dienst er schuldig mehr /  
Das er zur bitt vnd danck bereit  
Seh vor sein liebe Obrigkeit/  
Darmit ein jeder sichern raum  
Hab vnter seinem Feigenbaum /  
Vnd in dem Weinberg erlang frewd  
Mit ruh in allr gottseligkeit.  
Von Himmel hoch schick Gott herab  
Deines heiligen Geistes gab /  
Der die herzen mit lieb enbunde/  
Vnd die Eheleute verbinde/  
Das sie ohn hader vnd zanck lebn /  
Vnd dir mit gebet die ehr gebn.  
Der Mann dem Weibe sen günstig/  
Vnd hab lieb sein fleisch inbrüstig/  
Das beh dem schwachen werckzeug recht  
Mit vernünfft er wohn/vnd nicht fecht  
Alle die mengel/die er spürt /  
Darauff das Weib ihm wieder wird  
Liebe erweisen/vnd gehorsam /  
Gleich wie die Sara Abraham/

Das

Das sie ihn nemme ihren Herrn /  
Vnd halte stets in allen ehrn /  
Wo du auch / O Gott / Kinderlein  
• Bescheret hast den Eltern sein /  
So gieb dass dieselb ein jeder  
Zu Christo in die schul bring wieder /  
Vnd außerzih zum glauben rein /  
In erbarkeit / ohn bösen schein /  
Das er sie nicht zum zorne reiß /  
Oder verlasse nur aus geiß.  
Hiergegen hilff Herr dass auff Erden  
Die Kinder auch gehorsam werden  
Den Eltern / vnd sie gebürlich ehrn /  
So wird ihr glück sich teglich mehren.  
Desgleichen dass im Hause sey  
Knecht vnd Magd den Herren getrew /  
Vnd sich fürcht von herbn aus einfalt /  
Nicht zu dienst / so auffn schein gestalt  
Vor augen / sondrn das sie in alln  
Sich erzeign Christo zu gefalln.  
Denn ein jeder empfahen sol /  
Nach dem er sich gehalten wol.  
Ein Herr lasz auch das schnauben sein /  
Vnd mach das dreiven nicht zu gmein /  
Weil du Gott vbr ihn zu jeder frist  
Ein grosse / doch gütigr König bist /

Der

Der du die stolzen bald vom Stul  
Herunter stößest in den Pful/  
Und gibst dem demütigen gnad/  
Vor dem das altr den vorzug hat.  
Weiter verhüte / das so nicht  
Ein Witwe sich der wollust mit  
Ergebe/ sondern hoff auff dich  
Alleine / vnd bet inniglich.  
Zum bschluß schaff Gott/ das in gemein  
Ein jeder lieb den nehesten sein  
Wie sich selbst/ vnd denn alle tag  
Vor die glaubnsgnossen dir dank sag/  
Auch vor die Feinde lege ein  
Ein vorbitt beh dein Sohne dein/  
Gib das wir lernn solch lection /  
So wird es wol im Hause stohn.

Leipzig /  
Bey Michael Lantzenberger  
A N N O  
M D C I V.

Call. dics. A. 89, misc. 37